

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4204

Auteur(s) : Mathieu, Saint-Denis, Saint-Denis (abbé)

Bénéficiaire(s) : Robert de Los [chevalier]

Genre d'acte : vidimus

Authenticité : non suspect

Datation : 1270, mai

Lieu d'émission : Saint-Denis

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Mathieu, abbé de Saint-Denis, et Simon, seigneur de Nesle, vidiment la charte de Philippe [II], roi de France, par laquelle le roi donne en fief et à hommage lige au chevalier Robert de Los et à ses héritiers mâles une demeure et 100 livrées tournois de terre sises à Bois-Arnault.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 1220, p. 338.

b. Delisle Léopold, Passy Louis, *Mémoires et notes de M. Auguste Le Prévost pour servir à l'histoire du département de l'Eure*, Évreux, Hérissé, 1862, t. 1, p. 347-348.

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis, Matheus, miseratione divina, ecclesie Beati Dyonisii in Francia abbas humilis, et Symon, dominus Nigelle, locum tenentes domini regis Francorum, salutem. Notum facimus quod nos litteras inclite recordationis Philippi, regis Francorum illustris, vidimus in hec verba :

In nomine sancte et individue Trinitatis, amen. Philippus, Dei gratia, Francorum rex. Noverint universi, presentes pariter et futuri, quod nos dilecto et fideli militi nostro Roberto de Los, propter ejus servicium, et heredi suo masculo de uxore sua desponsata, damus et concedimus in feodum et hominagium ligium herbergagium Bosci Arnaldi et centum libratas terre ad turonenses annui redditus, quas ei assignari fecimus in hiis rebus que subscribuntur, videlicet: in censibus qui fuerunt Arnaldi de Bosco, novem libras et septem solidos et duos denarios, qui census sunt apud Boscum Ernaudi et apud Rugles ; census terrarum de Valle Ogeri, quadraginta et duos solidos ; census et avena de Chaablo juxta Gloz, quadraginta et septem solidos et sex denarios ; apud Gloz et apud Boscum Hugonis, quinque sextaria avene, viginti solidos ; Hamericus de Maneres, quindecim solidos ; Rogerus Machon, quindecim solidos ; prata de Riparia super Risle, quadraginta quinque solidos ; lande foreste, viginti quinque solidos, scilicet ille que fuerunt Arnaldi de Bosco ; feodum de Blondelera, viginti solidos ; prata de Valle Ogery, decem solidos ; furnum et molendinum de Rugles, que fuerunt Arnaldi de Bosco, decem et novem libras ; boscus de Chaable, sexaginta solidos ; pro viginti duobus caponibus Bosci Arnaldi, septem solidos et quatuor denarios ; Richardus de Auvergnay et Radulfus Juvenis, quatuor libras piperis, que valent octo solidos ; census de Bosco Arnaldi, qui est apud Britolium, duodecim solidos ; Gilibertus Flory, qui est apud Lyram, duodecim denarios ; terra de Landa Petrosa, sicut Osbertus Giffardus illam tenuit, octo libras ; terra et boscus de Gooudera, que fuerunt Guillelmi Goout, sicut dictus Guillelmus illa tenebat, septem libras ; terra de Bosco Normanni, sicut Rogerus de Portis illam tenuit,

sexaginta solidos ; terra Halyday, quadraginta quinque solidos ; domanium cum corveis de Bosco Ernaldi, centum solidos ; apud Gloz, in prepositura, triginta libras que fuerunt Arnaldi de Bosco. Nos autem omnia predicta dicto Roberto de Los et heredi suo masculo de uxore sua desponsata damus et concedimus in feodum et hominagium, reddendo inde nobis servicium quod predicta debent ad usus et consuetudines Normannie, hoc excepto quod feoda predictarum partium nobis et heredibus nostris in perpetuum retinemus. Quod ut perpetuum robur obtineat, sigilli nostri auctoritate et regii nominis karactere inferius annotato presentem paginam precepimus roborari. Actum Compendii. anno ab Incarnatione Domini M° CC° nono decimo, regni vero nostri anno quadagesimo, astantibus in palatio nostro quorum nomina subtitulata sunt et signa : dapifero nullo ; signum Guidonis buticularii ; signum Bartholomei camerarii ; signum Mathei constabularii. Data vacante cancellaria.

In cujus rei testimonium, presentibus litteris sigillum regium duximus apponendum. Actum apud Sanctum Dionysium, anno Domini millesimo CC° septuagesimo, mense maio.